



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Lvitprandi Ticinensis Diaconi Opvscvlvm, De Vitis
Romanorvm Pontificvm**

Liutprandus <Cremonensis>

Mogvntiae, 1602

Cap. XV. S. Victor.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11115

S. ELEVTHERIVS.

A. CLXXIX.

ELEVTHERIVS, natione Græcus, ex patre Habundio, de oppido Nicopoli, sedit annos 15. menses 3. dies 2. Fuit autem temporibus Antonini & Commodi vsque ad Paternum & Braduam. Qui 8. Calend. Iunii obiit. Hic accepit epistolam à Lucio Britannico rege, vt Christianus efficeretur per eius mandatum. ^a Hic constitutione sua firmavit, vt nulla communis esca, quæ rationalis & humanæ naturæ congruere videretur à Christianis repudiaretur; ^b & omnium Episcoporum definitiua sententia, non nisi apud Romanam sedem terminaretur, reliquorum verò clericorū causas apud comprouinciales etiam Episcopos licitè terminandas. Idem prædictus Papa de accusationib. Episcoporū intra cætera dicit. ^c *Nihil absq. legitimo, & idoneo accusatore fiat. Nam & Dominus noster Iesus Christus Iudam furem esse sciebat, sed quia non est accusatus, ideò non est eiectus, & quicquid inter Apostolos egit pro dignitate mysterii ratum mansit.* De accusationibus comprouincialium ita legitur esse statutum. ^d *Si quis super quibuslibet criminibus quemlibet clericum pulsandum credit, in prouincia, in qua consistit ille, qui pulsatur, suas * exerat actiones, nec existimet alibi eum ad iudicium pertrahendum. Proditoris nec calumnia, nec vox audiatur.* Hic ordinauit Episcopos 15. presbyteros 12. diaconos 8.

^a in epist. ad
Gallia prouin-
cias. c. 1.
^b ib. c. 2.

^c ibid.

^d ibid. c. 3.
* exerat.

CAP. XV.

S. VICTOR.

A. CXCIV.

VICTOR, natione Afer, ex patre Felice, sedit annos 10. menses 2. dies 10. Fuit autem temporibus Cæsaris Augusti Antonini, qui & Verus dictus est, à consulatu Commodi 5. & Glabrionis, vsque ad Lateranum & Rufinum. Hic martyrio coronatur 5. Kalen. Augusti. Hic constituit ^a, vt Pascha die Dominico celebraretur, sicut & prius fecerat. Constituit enim si necesse, periculo mortis urgente, fuerit, quocunque tempore, quocunque in loco, videlicet, vel in mari, vel in flumine, aut in fontibus, quemlibet licitè baptizari; tantum in nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis fiat; & hoc decreuit, vt incerta, etiamsi vera sint, nullatenus iudicentur, nisi prius manifestis iudiciis comprobentur aut manifesto iudicio conuincantur, vel iudiciario ordine publicentur. ^b Nec alicuius Epi-

^a epist. 1. ad
Theoph. Alex.
De conf. dist.
3. c. celebra-
tem.

^b ibid.

ius Episcopi causam definiri liceat Romano Pontifice inconsulto. Hic ordinavit Episcopos 12. presbyteros 3. diaconos 7.

CAP. XVI.

S. ZEPHERINVS.

A. CCIII.

ZEPHERINVS, natione Romanus, ex patre Habundio, sedit annos 18. menses 7. dies 10. Fuit autem temporibus Antonini & Seueri à Consulatu Saturnini & Gallicani vsque ad Præsentem & Strigatum Consules. Qui obiit 6. Kalend. Septemb. ^a Hic etiam constituit, vt Episcoporum causa non terminetur absque præcepto Romani Pontificis, nec vllatenus Episcopus iudicetur, nisi aut ipse se reum esse confiteatur, aut idoneis testibus, qui non sint minus, quam 72. conuincatur. Constituit etiam, vt quispiam summorum, minorum accusationibus non impetatur, nec in re dubia certa iudicetur sententia, nec vllum iudicium nisi ordinabiliter factum teneatur, nec absens iudicetur, nec aliquem sententia nisi à suo iudice dicta confringat, & Episcopus accusatus 12. si necesse fuerit, Episcopos iudices eligat: nec prius audiatur, aut excommunicetur, vel iudicetur, quam ipsi per se eligantur, & regulariter vocatus ad suorum primo conuentum Episcoporum per eos eius causa * iterum audiatur, & rationabiliter discutiatur, cum de occultis alieni cordis non temerè sit iudicandum, & iniusta iudicia ab omnibus sint cauenda, & Episcopi à plebibus & clero sint ferendi. ^b Constituit etiam, vt ordinationes presbyterorum & Leuitarum congruo tempore, & multis fidelibus coram astantibus fierent. Hic ordinavit Episcopos 13. presbyteros 14. diaconos 7.

^a epist. 1. ad Episc. Sicilia.

2. q. 1. primates.

3. q. 4. c. de tractoribus.

3. q. 9. c. absens.

* iuste aud.

^b epist. 2. ad Episc. Ægypt. dist. 83. c. ordinationes.

CAP. XVII.

S. CALIXTVS.

CALIXTVS, natione Romanus, ex patre Domitio, de regione Viberauennarum, sedit annos 5. menses 2. dies 10. Fuit autem temporibus Macrini & Heliogabali, à Consulatu Antonini & Alexandri. Hic ab Alexandro Imperatore martyrio consummatur pridie idus Octobris. ^a Hic constituit vt ieiunia 4. temporum ab omnibus Christianis celebrarentur. Hic decretis suis firmavit, vt nullum iniustum iudicium & diffinitio iniusta regis metu, aut iussu, aut cuiuscunque potentis à iudicibus ordinata vel acta firmitudinem

^a Epist. 1. ad Bened. Episc. 11. q. 3. c. iniustum.

C

nem